

excelsis. (4) Ecce insuper quod venerabilem fratrem nostrum Iacobum Avinionensem episcopum, de cuius circumspecta prudentia plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad tuam propter hoc presenciam duximus destinandum, quem pro nostra et apostolice sedis reverencia benigne recipias et ei super hiis, que tibi circa premissa ex parte nostra retulerit, adhibeas plenam fidem.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. dioc., III. Kal. Septembr., pontificatus nostri anno quinto.
Bleibulle hängt.

II. Clemens V. an Philipp den Schönen. 1310 Dec. 9.¹

Or. Paris, Archives nationales J. 704 n. 179.

Clemens episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo regi Franc(orum) illustri salutem et apostolicam benedictionem.

(1) Audivit iam, sicut firmiter credimus, tua serenitas, qualiter olim presentato nobis electionis decreto de carissimo in Christo filio nostro Henrico rege Romanorum illustri per venerabiles fratres nostros . . archiepiscopos et dilectos filios nobiles viros regni Alemann(ie) principes in electione Roman(orum) regis vocem habentes unanimiter et concorditer celebrate, auditaque supplicatione humili sollempnium nuntiorum tam ipsius regis tunc electi quam eligentium predictorum, electionem ipsam suadente iustitia non multum celeriter, sicut nobis aliqui veritatem negotii nescientes, prout audivimus, ascribere dicuntur, set cum matura et longa deliberatione magnaue mora temporis interiecta de fratrum nostrorum consilio et consensu, nullo penitus discordante nulloque apparente contradictore publice vel occulte, duximus approbandam, declarando iuxta sedis apostolice morem antiquum, ipsum inter cetera fore habilem ad imperialis celsitudinis dignitatem et sibi esse unctionem, consecrationem et Romani coronam imperii concedendas, et ad unctionem, consecrationem et coronationem huiusmodi recipiendas in basilica principis apostolorum de Urbe certum terminum prefigendo. (2) Nuper autem sollempnes cenatus et populi Romani ambaxatores et nuntii tam prelati quam alii ad nostram presentiam venientes penes nos importune pluries institerunt, multas rationes efficaces ad hoc obtinendum coram nobis et nostris fratri-

1) Auf den engen Zusammenhang, in dem dieser und Brief V mit dem Bericht der Gesandten unten n. IV steht, soll hier nur eben verwiesen sein.